



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

106. An simul cum corpore S. Lamberti sedes Episcopalis Traiectensis siue  
Tungrorum sit translata Leodium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

An simul cum corpore S. Lamberti sedes  
Episcopalis Traiectensis siue Tungrorum  
sit translata Leodium.

**N**onnulli agentes de transmigratione reliquia-  
rum S. Lamberti adiungunt, simul (tempore) ef-  
se translata sedem Episcopalem Tungris siue  
Traiecto Leodium. Quantum ego ex historijs  
sapio, apparet mihi translocationem Sedis pe-  
ractam esse post relatum corpus & serius quam anno 709.  
aut 712. Pro primo argumento iuuabit audire accuratum  
Happart apud Iohannem Roberti :

*Cæpit, inquit, Legiam muris cingere, præruptis scopulis valli-  
busque munire Hubertus : portas instruxit, & mœnibus circumde-  
dit, quibus ab hostium incursum populus tutior, liberius Deo famu-  
laretur. Fundauit in eadem Ecclesiam in honorem intemerata Vir-  
ginis Maria, Sanctique Lamberti. Triginta Canonicos ad diuinum  
cultum ibidem instituit, quos largis redditibus dotauit. Edificauit  
& aliam Ecclesiam in pede publici montis, sub honore Apostolorum  
principis Petri, quindecim Canonicis in eadem positis, quos sub le-  
ge communiter victitandi, ex Ecclesia Tungrensi sufficienter dotauit.  
Adiecit insuperegregius Presul in augmentum diuini cultus, & sub-  
leuamen Canonicorum maioris Ecclesia Clericos sex. Et quia horum  
erat, actis diuinis, mensis prouidere, Clerici Mensales, (qui iam  
Canonici) vocabantur.*

*Ecclesias inter Traiectum, & Leodium, quas in translatione S.  
Lamberti designauerat, fideliter compleuit. S. Hubertus auctoritate  
Apostolicâ, per Papam Iohannem sibi commissâ synodum triginta  
Episcoporum congregauit, quorum ordinatione Tungrensem Ec-  
clesiam transtulit, & plurimis dignitatibus, & priuilegijs decora-  
uit. Verum S. Hubertus videns filiam sublimatam in matrem ut re-  
gale*

gale sacerdotium obtineret; Ecclesiam esse Cathedralē, ipsaque ciuitatem caput esse Episcopij; diuersas leges, & plebiscita populo suo promulgauit. Et quia erat pacis & iustitiæ cupidus, iustam statueram ponderis, mensuram vini, & frumenti imposuit, & morosa plebi certa priuilegia, & libertates concessit. Ipse monetam publicam, sigillumque S. Lamberti imagine figuratum, cuius inscriptio:

*Sancta legia, Romana Ecclesia filia, effuxit.* Hactenus Happert.

Quod narret fundasse Hubertum in Legia Ecclesiam in honorem S. Lamberti: item Ecclesias inter Traiectum & Leodium quas in translatione S. Lamberti designauerat, fideliter compleuisse, & postea subiungat S. Hubertum synodo Episcoporum congregata eorum ordinatione Tungrensē Ecclesiam translulisse, docet transportatam esse Cathedralē post euectas reliquias, & non simul.

Secundum argumentum est, quod nulli auctores qui sancti Lamberti vitam ex professo composuerunt apud Chapeauille dum migrationem S. corporis describunt, vilius translatae sedis, rei tamen apprimè memorabilis, mentionem habeant, & si quis habet, diuerso loco & tanquam separatæ recordatur.

3. Antequam Episcopalis dignitas residentiaque transferretur, oportuit Legiam in ciuitatem efformari; nam ex insigni oppido in ignobilem vicum transportari indignum esset. Non surrexit vero in ciuitatem Legia nisi per S. Hubertum eam mœnibus cingentem prout Happert supra & reliqui: aut S. Hubertus ciuitatem condere non potuit nisi donatus iurisdictione & potestate seculari, quam primò accepit a Carolo Martello testibus Molano, Leuino Brechto, Chapeauille, Iohanne Roberti, Vnde sequitur Ciuitatem non esse conditam nisi mortuo Pipino sub Carolo Martello hoc est post annum 714. per consequens sedem Leodij

Leodij esse positam post illum annum, quare cohærenter non procedunt agentes S. Hubertum Leodium in Ciuitatem erexisse 710. & iurisdictionem temporalem (quæ ad hoc requiritur) datam à Carolo Martello, cum Martellus anno 710. nullam obtineret facultatem alienandi, nullam administrationem viuentibus Grimoaldo filio legitimo Pipini Maiore domus, Theobaldo nepote quos usque ad mortem promouit Pipinus præterito Martello. Accedit quod Pipinus non consueuerat conferre Episcopis politiam sæcularem: eo defuncto magis præstitit Martellus, ut S. Willibrordo Ultraiecti, & nunc S. Huberto.

Si qui veteres scribunt simul cum reliquijs translata sedem, explicari possunt, vel de simultate personæ, non temporis, id est S. Hubertum illa duo præstitisse licet non vno tempore: vel quod tum transcathedratione cogitarit, proposuerit, inceperit, præpararit, quam postea actualiter executus est; non enim tanti moliminis res subito impleri potuit.

Episcopi triginta à S. Huberto ad ordinandam translationem congregati quinam fuerint, nullibi lego. Fas non sit Willibrordum absentare, amicum, vicinum, spectabilem, in Episcopalibus negotijs multis annis versatum. Difficultas verò oritur quomodo Hubertus auctoritate Iohannis Papæ (septimi) congregatis Episcopis Ecclesiam transtulerit post annum 712., cum Iohannes septennio ante obierit. Respondetur, verba Happart non cogere nos sentire translationem peractam permissione, iurisdictione, ordinatione, aut auctoritate Iohannis, sed solum Hubertum donatum fuisse à Iohanne facultate conuocandi Episcopos siquando Ecclesiæ negotium requireret. Hubertum autem ea potestate fretum, dum propositum suum serio absoluere cogitat, Episcopos congregasse, &

DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS  
causam transponendæ cathedræ ventilasse inque finem  
perduxisse. Non infrequens fuit eiusmodi facultates  
à summis Pontificibus honorabilioribus Episcopis con-  
ferri in vsum Ecclesiæ, vt in Wilfrido etiam sumus exper-  
tis uprà.

## DISSERTATIO CVII.

De morbo & morte Pipini. Examinatur  
Marcellinus.



Nno 714. Pipinus Princeps in lethalem morbum incidit eodēque anno suo obedit fato. De his Marcellinus: *Cumque in Monasterio Werdensi vite celestis institutio quotidianum sumeret incrementum contigit anno ab incarnatione Domini 714. Pipinum de Herstallo strenuum Principem & Maiorem Domus Francorum dolentem super innocente morte sanctissimi Lamberti Tungrensensis Episcopi ad mortem agrotare. Accersitusq; S. Swibertus egregius Pontifex ad visitandum eum per nobiles viros perrexit prius cum Willeico & Theodorico discipulis suis Coloniam ad Plectrudem illustrem Ducissam Lotharingia seu Austrasiorum consilium ab ea exoptens quidnam facere deberent. Quæcum religiose suscipiens & tractans, tandem retento Colonia pio Willeico presbytero S. Swiberti apud se causa deuotionis & consolationis (erat enim fœlix Willeicus Euangelicus sacerdos) misit S. Swibertum & Agilolphum Coloniensem Archiepiscopum cum plerisq; alijs Prælatjs ad Pipinum Principem coniugem eius ad informandum eum, si obiret, ne illustres legitimos suos filios Drogonem Ducem Campania, Grimoaldum Maiorem Domus Childeberti Regis Francia exheredaret, heredem scri-*  
beret